

1978

M

311
[16]

Cum,
DEO Auxiliante,
Serenissimus Princeps ac Dominus,
DOMINUS
CHRISTIANUS,
DUX SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ,
AC MONTIVM, LANDGRAVIUS THVRINGIÆ,
MARCHIO MISNIÆ, NEC NON UTRIUSQVE LUSATIÆ,
PRINCEPS HENNEBERGICUS, COMES MARCÆ, & RA-
VENSBERGÆ, DYNASTA RAVENSTEINII
&c. &c.

NATALEM TRIGESIMUM SEPTIMUM,

^{Qvi}
In diem XIX. Novembris Anni vertentis
M. DC. LXXXIX. incidebat, ritu solenni
celebraret,



PANEGYRI PRÆSENTI

Vota devotè nuncupabat

DANIEL LEONHARD de Zedliz,

Eqv. Misn.



MERSEBURGI,

Literis CHRISTIANI GOTTSCHICKII, Typograph. Ducal.

CHRISTIANUS
DUX SAXONIAE, ILLIACI-OLIVAE,
AC MONTIVM LANTORAVIVS THYRINGIAE,
MARCHIO MISSIE, NEC NOMINIVSVE LUSATIAE,
FRANCIS HENRICKVS COMES MARCHIAE
TENESSICE DIXIT AVENTINVS

CHRISTIANUS
DUX SAXONIAE, ILLIACI-OLIVAE,
AC MONTIVM LANTORAVIVS THYRINGIAE,
MARCHIO MISSIE, NEC NOMINIVSVE LUSATIAE,
FRANCIS HENRICKVS COMES MARCHIAE
TENESSICE DIXIT AVENTINVS

NATALENTIVS
In die XIX Novembrii Anno MDCCLXXIX



Kapsel 78 M 311 [16]

AK
DANIEL LEONHARDT
LITH. CHRISTIAN GOTTSCHEK Typograph Duderstadt





Q. D. B. V.



Væ summa in Rebuspubl. esse felicitas solet, Principis salus, eam si obtinuisse hodiè Provinciam nostram dixero, id maximè dicam, quod mecum publica Vota, & communis gratulantium Consensus eodem ore loquantur. Illuxit enim, & quod perpetuò doleant malevoli omnes, illuxit felicissimè *Dies*, qui supremo Numinis Divini beneficio, *Serenissimum Principem nostrum, CHRISTIANUM*, dignissimum aliquando ditionum paternarum Virtutumque heredem, & olim rebus humanis primùm imposuit, & nunc incolumem quoque, corpore animoque vigentem, Eundem nobis sistit.

Qui quàm avarissimis expetitus hætenus votis, quàm flagrantissimis precibus lacrymas inter atque suspiria impetratus fuit,

fuit, tantum quoq; præfens venerationis atque lætitiæ habet, tantoque effusior nunc ejus adepti gratulatio existit. Neque majorem enim voluptatem animis capere, nec opportunius lætandi argumentum invenire possumus, quàm quod *Optimum Principem* appellare salvum, & amplecti fospitem licet. Qui, quot Natales repetit, Reipubl. utilissimè impendit, quotque spatia annorum conficit, tot decora Sibi, tot nomina Posteris addit, Princeps demerendis hominibus genitus, & ad omnes natus Virtutes, quas & concipere mortalis conditio atque perficere felix industria possunt. Cujus proinde vita haud secus, quam universorum felicitas æstimanda venit, quæ, quòd cum omnium salute conjuncta est, omnesque mirificè tangit: Sic omnes æquè gaudio afficit, exterosque pariter & Cives, gratulationis sensu excitatos, in partem officii vocat. Agnoscit *Martisburgum*, inclytata Tua Urbs, felicitatem suam, suisque quasi sedibus excita, & divino quodam circumfusa gaudio in Vota largiùs & gratulationes erumpit. Unde non publica tantùm loca religiosis acclamationibus personant, sed & privata Domus, Votis solennibus strepunt; nemo, *Te* incolumi, de incolumitate suâ sollicitus videtur. Nec intra urbem solam hoc teneri gaudium tam diffusum potest; quin ipsa jamjam mœnia transcendit, cæterisque pariter subditis gratulationis sensum incussit. Qui, quò magis secum hæc sua bona revolvunt, hoc accenduntur magis; hoc acrioribus stimulis incitantur, ad officium hujus Diei proprium ritè persolvendum. Non ætas quenquam sua retardare potest; non valetudo impedit; non sexus remoratur; quò minùs *Tibi* salutem quisque nunc precetur. *Te* parvuli noscere; *Te* senes ostentare; *Te* monstrare Juvenes; quin & ægri, neglecto medentium imperio, ad conspectum Tui prorepere; omnes pro incolumitate *Principis* cœlum poscere, preces conjungere, vota litare.

Me quoque, *Serenissime Princeps*, quem quidem nascendi fors *Tibi* sacramento non obstrinxit, votis tamen & veneratione nexum perpetuò habes, hic felicissimus *Natalis* Tui exortus at-
ro-

tonitum rapuit, eoque impulit animum, penitus hæc bona introspicientem, ut sustinere non magis impetum potuerim, quam quos è declivi vis quædam præcipites agit. Ruendum in vota, in gratulationes erat; & uti constaret facilius de magnitudine felicitatis præsentis, præcipiti cursu ad Laudes Tuas ferendum, qui, eò quòd omnibus salutem omnigenam præstas, laudari ab omnibus optimo jure mereris. Tuarum verò laudum haud minima pars videtur, quod Te laudari etiam ab illis benignus permittas, quibus impar longè rebus ingenium datur; Spreto Augusti fastu, componi de se aliquid, nisi à doctissimis Viris, gravisimè indignantis. Cum tamen tam publica Laudatio, quàm ipsa laus sit, eoque verior, quò simplicior; & hoc omnium maximè ornata, si ornamenta contemnat.

Mihi equidem spem fecit inusitata Tua Clementia, *Clementissime Domine*, paratam fore veniam hospiti, templa Tua trepidè intranti, & nescio quid rude atque inconditum jamjam meditati. Non què Virtutum Tuarum tam iniquus sim æstimator, ut vel commemorari saltem dignè à me posse confidam, quas explicare arduum, & illi ingenio foret, quod maximis operibus surgit; sed ut *Principi* tantùm, cum collaudari satis non possit, pia offeratur voluntas, obsequiivè cultus tantisper declaratur. Nam sicut non minùs litat, qui aliquas thuris glebas ignibus sacris offert, quàm qui cruore pecudum altaria inundat: Sic ex æquo etiam propitiabit Numen, qui pulvinaribus infert modulatum carmen, & qui indocili calamo Deum esse probat, humilem quemque cultum nunquam adspernantem.

Qui cursum solis attendunt, rapidosque motus siderum scrutantur, ad Orientem sese ut plurimum convertunt, inde rerum exordium auspiciumque ducentes. Idem quoque mihi, Verborum vota solventi, usu jamjam venit, ut inde potissimum dicendi initium ducam, unde *Sideris nostri* splendidissimum Numen exoriri coepit.

Saxonicae olim Genti Virtutisque ipsius inaccessum nihil, nihil impervium fuisse, tot erecta testantur Victoriarum mo-

numenta, tot Heroum sanguine rorantia trophæa loquuntur, quibus terrarum orbem, quem victoriis suis usque emensa fuit, non tam implevisse, quam cumulasse videtur. Cui, ut integrum semper suum adesset decus, ipsisque Posteris etiam traderetur robur Avitum, regimen hujus tam invictæ gentis, Majoribus Tuis, *Serenissime Princeps*, Superi tradiderunt. Idque tam felici successu, ut tantis præeuntibus Ducibus, emolliri nunquam potuerit hæc fortissima natio, debilitari nunquam inter imbelles, luxuque diffuentes devictos, nullis delitiis cœli solique frangi. Plus scilicet opere, quam verbis docebatur, plus ponderis afferebat Principum Optimum exemplum, quam si sexcentas leges aut Græcorum Draco, aut Numa Romanorum aliis præscripsissent. Ea enim conditio Imperitantium, ea parentium natura esse consuevit, ut quicquid faciant illi, præcepisse quodammodo videantur, & hi vicissim libentius illa imitentur, quæ subire animos magnis auctoribus solent.

Quibus mortalium optimis cum ortus felicissimos debeas, & gloriosè satis exinde petas Natales, nondum dispicere licet, quæ Illustrissima alia aliorum Principum stirps, quæ Regum prosapia, (absit invidia dictis,) seu vetustatem originis spectes, seu rerum gestarum gloriam consideres, seu amplitudinem fortunæ inspicias, cum augustissima Tua concertare audeat. Ut quæ nec satis habebat, Saxoniam tantum suæ moderatores optimos dedisse, sed eò quoque potentiæ postmodum exerescebat, eò felicitatis & gloriæ procedebat, ut tantum non toti Europæ prospiceret, sceptrum fascesque hinc inde commodando. Sic non pudebat *Italiam*, Gubernatores ex *Saxonia* petere; non erubescere *Britanniam*, inde sibi Reges deposcere; non poenitebat *Germaniam* Majestatem summam Saxonibus deferre. Gallias his ipsis adjicerem, si fidem inveniret, prodire ex ea stirpe Regem potuisse, nihil in se regium, quin humani jam nihil, nihil Christiani amplius habentem. Cui nullus Ordo tam sacer, quem non temerè tangeret; nulla fides tam sancta, quam non foedè pollueret, nullum sacramentum tam religiosum, quod non vio-

violaret. Rex quidem dici amat, & omnium Regum solus
CHRISTIANI nomine gaudet, sed sedem verius perfidiæ
vocares, asylum vecordiæ, refugium scelerum, furiarum rece-
ptaculum, domicilium Acherontis.

Hunc genitum nunquam nostro de Saxone dicam;

(Fallere qui nescit, candidus atque pius.)

Sed scopulis Ponti, quos ista habet ora sinistri,

Inque feris Scythiæ, Sarmaticisque jugis.

Sed ad TE revertor, *Serenissime Princeps*, cui felicissimè contigit,
ex tantis Progenitoribus nasci, ut dicere nullus non ausim, san-
ctiorem longè & clariorem stirpem TE fuisse nactum, quam si à
Jove ipso exordium peteres, & in partem nobilitatis crimen Deo-
rum vocares. Præsertim cum altera ex parte *genus Maternum*
accedet, quod *Serenissima Mater* (quam inæstimabilem ducimus,) ex
florentissima *Holsatia* repetit, priori isto haudquaquam infe-
rius, æquale per omnia, nulla ex parte secundum. Qua nobis
lissima Sanguinis Augusti utriusque mixtura id *Tibi* postmodum
Indolis temperamentum obvenit, ut gentis utriusque assumseris
Virtutes, nullis vitiis naturâ laborante. Cum hinc ferocia *Sa-*
xonum indomitusque vigor, justo quodam *Holsaticæ* moderati-
onis, consiliique pondere libretur, ut declinare nullatenus, aut
modum transcendere queas, etiamsi velis. Sed dum imagines
Tuas intrespicio altius, id evenire mihi quodammodo sentio,
quod solem intuentibus accidere consuevit. Quando immensus
quidam radiorum fulgor oculorum aciem stringit, & quas nescio
tenebras lumini mentis offundit, ut quò æstimem magis, hoc mi-
nus capiam, ubi exordium narrationis faciam, ubi finem inveni-
am, ^{cum} ignarissimis gnarus. Commemorandi tamen sunt (ne cor-
rumpatur silentio gaudium) qui *Tibi* è proximo incumbunt, pa-
cis Alter artibus, Alter belli usu experientissimi, *Parens Arousq;*
extra comparationis aleam Imperitantium Optimi, & in qui-
bus natura collegisse vires videtur, ut *Par* produceret *Princi-*
pum, omnibus numeris perfectissimorum, Ecquæm similem e-

nim hoc nostrum seculum vidit potentissimi illius Principis *Ele-
ris*, JOHANNIS GEORGII, I. Cujus oportune inciderat in
ea tempora ætas, quibus non magis jamjam à servitute *Saxonia*
aberat, quàm abfuisset olim ab imperio summo, & potestate re-
gnandi. Adhuc dum animus meminisse horret, quibus tùm o-
diis invicem certaretur, quàm impunè impietas, quàm liberè ho-
stium debaccharetur sævitia, & irarum fluctibus quasi intume-
scens, ultima quæque patriæ minaretur, cum ceu ex Machina De-
us adesset *fortissimus Princeps*, summisque periculis nobilissimum
caput objectans, modum non tantùm libidini hostium poneret,
sed & à gladio suo, & iratis tùm maximè fatis, majora conse-
queretur, quàm à faventibus alius sperare debuisset. Fidem
penè superat, eluctari *Ipsum* tot mala potuisse, in quem sævissi-
mi quique non tantùm conjuraverant hostes, sed etiam Acheron-
ra ipsum (superis, nequicquam prius imploratis) & inferorum ar-
mamentaria concitârant, nec tam ferro, quam auro, & quod
utroque potentius, religionis obtentu pugnabant. Sed quam
nefario ausu, tam infelici eventu; cùm tantùm jam abesset, ut
gradu dejici posset firmatus solidissimè *Princeps*, ut eò cupidius
hostibus instaret, & ingentis animæ ad reprehensionem prodi-
gus, pro aris focusque acriùs dimicaret. Si quo duce opus in
ordinanda acie, Imperatoris partibus fungebatur; rursùm, si
prælium militem posceret, fortissimi militis officium explebat,
eoque ipso, quod erat maximum, efficiebat facile, ut & frange-
retur hostibus animus, & fiducia Suis vicissim adderetur. Se-
quebatur inde consternatio hostium, consternationem metus,
metum fuga excipiebat, fugam cædes, ruinam internecio comita-
bantur. A parte *Principis* autem, pro quo justitia simul justis-
simæ causæ pugnabat, certa victoria stabat; quæ an illustrior ob
hostium cladem acceptam, an propter Victoris Clementiam no-
biliores extiterit, nemo non ambigit. Sic enim utebatur felici-
tate suâ Triumphator magnificus, ut non insultaret superbior
devictis, sed ut salutem daret vitamque, & inaudita Clementia
ad saniores mentes redactos, insperata pace refocillaret. Quan-
do

do non ignorabat, seipsum vincere atque fortunam suam, victorias omnes & adoras excellere, veramque eam & incomparabilem sublimitatem invicti animi fore. Reliquorum quidem triumphorum, in quos humanum genus impenditur, suam quoque gloriam manere; materiam tamen, quam constituunt magnarum urbium busta, extructi ossibus campi, infecta cædibus maria, solitudo & vastitas, exosam admodum esse, inhonoram, invisam. Fatali ergò dissidio, opinione omnium citiùs, Maximus Princeps finem imponebat, & quod fieri posse mortalium nemo crediderat, Saxonix suæ non antiquum tantùm restituebat splendorem, sed & nova decora, incrementa majora addebat, solutis compedibus, quas jam injecerant hostes, & discussâ nocte, quæ libertati ipsius suprema incumberebat. Solent sublimes animæ precariò se tantùm mortalitati commodare, non desideriiis cujusvis, sed emolumento patriæ, ævi sui spatium mentientes, & tùm diu se satis vixisse arbitrantur, cum bene vixerint, mori feliciter & abscedere, si nihil rotâ vitâ aut omissum quicquam, aut poenitendum occurrat. Perinde & Princeps noster, Defensor fidei summus, restitutâ Germaniæ pace, libertate Saxonix redditâ, rebus superesse humanis recusabat, & properasse ad Superos, ut ita loqui liceat, cupidius videbatur, quàm ex usu populi & Reipubl. esset; suo se officio satis fecisse ratus, quod quietem patriæ, tranquillitatem Civibus, subditis otium, & spem salutis futuræ omnibus reliquisset.

Sed quod accidere in morbis gravioribus solet, ut ubi semel insedere altius, non primo statim impetu tollantur, sed quendam ut plurimum stimulum relinquunt non nisi cum tempore ac longiori industria postmodum evellendum. Idem & patriæ nostræ, usu tùm evenit, cum durantibus bellis tanta exhausisset Jliada malorum, ut redeunte pace, spem salutis quidem concipere aliquam posset, fiduciam non posset, nisi tollendis miseris nova accessisset Imperitantis cura. Tristissimas tamen clades, quasque bellum apportat calamitates luctuosissimas senserat, fa-

mosissima dudum bellorum plurium sedes, Martisburgensis hæc ditio, & laborare omnium gravissimè cernebatur, cum felicissimum ei, adhuc caliganti oriretur sidus, rerum potente, Optimo Principe, Clementissimo Domino nostro, Serenissimo CHRISTIANO. Cui gubernacula adhuc dum vivus tra-
debat piissimus Genitor, credo, ut majorem inveniret materiam laudis, absolvendo illud, quod summum esset immortalium operum, circa sacra restituenda occupatum, & pietatem revocandam. Naturâ semper infirmitatis humanæ remedia quàm mala tardiora existunt; quando rem destruere, vel ignavissimus potest, sed restituere lapsam, vix uni vel alteri concedi à superis solet. Principi autem nostro, hoc tantum subire facinus, in omne ævum iturum, non facile minùs, quàm pulcrum videbatur, ut an majori id animo fuerit aggressus, an feliciori idem industriâ absolverit, vix ullâ ratione dijudicari possit. Certè ut pacis fructus omnibus constaret, omnem sibi ipsi quietem invadebat; ut otii dulcedine subditi fruerebantur, plures quàm in bello suscipiebat Princeps labores; acriores contentiones, majora certamina sibi indicebat. Extirpandus præ omnibus maximè videbatur, superum contemptus; evellenda impietas malorum omnium mater; quod uti effectui daret, optimas non tantùm constituebat leges, disciplinam morum in usum revocantes; sed sanctiones quoque sanctissimas edebat, populi licentiam, fræna jam mordentem, masculè coercentes. Et ne quid damni in posterum Respubl. capere posset, saluberrimas passim officinas Justitiæ, hoc est, Judicia instituebat, unde jus ritè cuivis diceretur, quod honestatem vitæ exposceret, & actionum omnium justitiam haberet. Pari providentia reparabat quoque ærarium, rerum gerendarum nervum, non subditorum lacrymis, & sanguine supplendum, sed solerti quorundam invento pietatis augendum, inde ut sumeret, quò populum ditaret, & nitore pristino redderet, quæ clade belli perculsa atque prostrata jacerent. Scilicet ut Paterfamilias, quando tempe-
stas

stas desævire cœpit, sustentare arbores quãssatas, suffulcire debilitatas, & in fractarum vicem substituere novas consuevit: Sic *Clementissimus Tuus* & *communis Patriæ Parens*, pro salute publica perpetim excubabat, hinc periclitanti occurrebat promptus, laboranti inde obvius aderat, præsens ubique, ubique dispiciens, quid facto opus esset. Et quam curam olim in conservanda patriã Juvenis adhibebat, hanc etiamnum intendit in ea exornanda *Venerabilis Senex*, nihil quicquam remittens à vigore pristino, aut studio juvandi. Verbis facta nunquam non conjungit; rebus consilia addit, quorum testata fides & eventus felix, divinitatis etiam consortium declarant. Ut nemo tam excors sit, aut vesanæ mentis, qui intelligere nolit, hunc ipsum nobis Divinum Numen dedisse, & prius æternamente constituisse Principem, quàm Eum *Parens Maximus* genuit; nec humanum opus, sed divinum verè, illius Imperium esse. Cujus suscepti, quàm pia initia fuerunt, tam fausta hæcenus ^{re}currenti, continuatque fuerunt incrementa, paresque & olim exitus sequentur.

Talis tantusque cum Avus *Tuus* fuerit, *Principum* optime, ejusque ad gloriam dudum accesserit indulgentissimus *Parens*, quin *Te* dignissimum quoque his Imaginibus tantis, hoc est, *Tui* similem, & talem omnimodò, qualem *Te* nunc cognitum judicamus, præstiturus sis, pietate Parentem, Avum virtute regeneraturus, nulli nostrum dubium videtur. Cum in *Te* ipso jam sentias, unde exortus sis, & in id fastigium *Te* natum esse scias, ut Majorum decus perpetuum & constans conserves.

Principiò quantus evasurus esses, tenerà statim ætate, indiciis haud paucis egregiè prodidisti, quibus & Parentibus magnis *Te* facile probabas, & optimam quamque spem relinquebas illis, qui *Tui* fingendi curam sustinebant, in proceritatem decoram Principem directuri, in quo spes patriæ aliquando esset.

Et uti talem Te redderent, qualem vel maximè vellent, nihil omninò laboris, parùm curæ erat, cum natus jamjam esses, quod cæteri docentur; cæloque omnia indoles *Tua* deberet, si indoles dici potest, ubi non medium datur inter rudimenta & consummationem. Puer namque *Principem* præferebas; florem maturitas præcipiebat. Tardè illa tantùm ingenia crescunt, quæ in turbam nascuntur; magnæ animæ statim sufficiunt fati, nec exspectari se jubet, quod mox repræsentari, felicitatis publicæ refert.

Prima ætas literis dabatur, quæ rectum de DEO sensum, verumque cultum ejus insinuant, quæ amorem honesti, & vitiorum odia imprimunt, nec formare tantùm, sed etiam firmare *Principem* optimum possunt. Quippe ut teneris statim recipiuntur annis: ita & durabunt in reliquas ætates, nunquam tentandæ temerè, nedum evellendæ. Adolescens juveniliter agebas, artibus quibusvis honestis, & exercitiis *Principe* condignis, animum oblectans, quæ & gravitatem studiorum jucundè temperarent, & excitarent magis generosos Spiritus, quos ætas nimis severa atque immota perdit.

Qui hortorum culturam tractant, fructus naturâ serotinos, calore procurato, præcoces reddere solent: Haud secus animi nostri peregrinatione opportuna ad maturitatem veniunt ducendi, inspiciendo aliorum mores, & addiscendo exinde, quod sibi ex usu fiet. Quando non eadem ubique reperiuntur; non eadem ubivis excellunt, alia sed alibi florent, & natio quælibet egregium quoddam habet, quo se attollat præ cæteris, & aliis commendet.

Tibi autem, Consummatissime *Princeps*, vel absque ulla jacturâ molestiis itinerum carere licuisset, qui jam collegeras dudum, quos exinde fructus alii exspectant; fastigiumque illud, subministrante quidem naturæ benignitate, felix obtinebas, quò ascendere plurimi non sine labore nituntur. Sed
sta-

stare nesciebat incitatus semel æternæ gloriæ stimulo animus cœlestis, nec prius quiescere poterat, quàm desideriiis suis fuerit satisfactum, cœli in eo naturam imitatus, quod & motu aliquo gaudeat, nec stationem perpetuam amet. Perlustrare primùm Germaniam placebat, & quas in sinu suo alma ista Mater enutriret urbes, quas foveret aulas, elegantiores Virtutum omnium scholas, non oculorum tantùm fugacitati committere, sed menti magis animoque subjicere, atque inculcare. Holsatia præ cæteris maximè arridebat, quando cupido incefferat, dulcissimos Cognatos visendi, & quas miratus absens in Iphis virtutes fuisses, exosculandi coràm ac devenerandi. Cognoscendus porrò Danorum Genius erat; noscendi mores Svecorum; quæ facies, quæ forma regni utriusque, quis imperandi modus, inspicere penitiùs, atque rimari lubebat. Hic nihil tam arcanum, quo non penetrares; nil adeò occultum, quod non indagares; tam abstrusum nihil, quod non explicares; unumquodque verò, in quo prudentia optima peregrinantis consistit, altâ mente reponeres, usu exposcente, olim depromturus. Longiùs progredi cupientem revocabat provida *Magni Parentis* cura, non ultrà quicquam fore, rectissimè conjicientis, quod summæ prudentiæ *Tux* in posterum adjici posset.

Quæ quidem omnia maxima videntur, & reverà sunt, nec nisi à divina proficisci origine possunt, immortalis tamen gloriæ *Tux* nuda tantum rudimenta audiunt, cum ampliora jam reliqua sint, atque majora restent. Quæ enim series? quod quæso agmen? qui concentus omnium in *Te* virtutum, non earum tantùm, quæ cæteris regnantibus communes, sed quæ *Te* vulgo Principum exemptum, cœlo propius adponere videntur? Ut quod de Cæsarum Optimo pronunciatum olim, verius de *Te* multò prædicari possit: Fingentibus nobis & formantibus Principem, nunquam voto saltem *Tibi* similem concipere succurrit, ut qui totâ vitâ nihil peregisti, cujus *Te* pudere aut pœnitere possit.

D

Re-

Religionis cultus, non in vanam speciem conceptus, aut quantum dominationi proficiat, obtentus, sed avulsis radicibus impietatis fibris, talis erga Deum, qualis in Te Civium; qualis *Principem* CHRISTIANUM, & re & nomine talem, maximè decebit. Ut qui non mentem tantum cum Deo assidue jungis, sed & vitam exprimis pietatis sensum, doctrinas atque dicta cum ipsis factis conjungens. Capiat hinc animum sincera religio nostra, si in hac mundi senecta nondum sibi deesse Clementissimos Nutritios videat, qui de Ipsa optimè sentiant, felicissimè olim Ecclesiae tutelam in se suscepturi. Pius dici meretur, *Serenissimus* CHRISTIANUS *noster*; (quod Ipsi nomen Veritas decernit, non adulatio adjicit) quo sanctius nihil dici; nihil appellari honestius, nihil utilius potest. Felicem vocare malles? Non moribus hoc nomen, sed magis fortunæ debetur. An dicere Magnum placeret; Invidiæ quidem latius hic titulus patebit; sed pulchritudinis minus in se complectetur.

Biantis olim legibus quam severissimè cautum, ut Principum quilibet, delubra Deorum non repetita vice, hebdomatim frequentans, & privaretur vivus Majestate suâ, & sepulturæ gloriâ mortuus careret. Alios terrere hoc legis fulmen potest; Te, piissime *Principum*, legibus quidem solutum, secundum leges tamen viventem, non obligare debet ad id, quod sponte Tua jam præstas; quando diem nullum elabi permittis, quo non honorem DEO, cultumque ritè præstares. Quod ipsum propterea addo, ut quamvis exemplo notissimum existat, repetendo tamen vim consequatur majorem, & in Tuorum animos altius demittatur. Par pietas & veneratio in *Augustos* quoque *Parentes*; dilectio intima in celsissimos Fratres; in thori Sociam affectus tenerrimus, indulgentia summa in felicissimam sobolem; & quoddam invicem benevolentiae certamen.

Altera *Tibi*, sed à religionis Studio proxima præcipuaque,

que est literarum cura, divino animo Tuo adeò infixà, ut irre-
queto meatu, salutem earum assiduè incumbat, hinc opem presis
tempestivè ferens, hinc laborantibus peropportunè succurrens.
Multum alienus à genio illorum, qui studiorum curam, inter
Imperii curas ne quidem referre dignantur, parum pensi habentes,
quicquid olim de Iphis literæ loquantur, si modò ullæ loquen-
tur. Quando in ea tempora reservati sumus, quibus parum
honoris studiis habetur; sed plerique eorum, qui censentur in-
genio, plebs tantum & vulgus sunt, & nescio qua inclementia
fati, tenui in re atque angusta versantur, qualidi, ignorantes,
despecti. Tàm vilis prohi dolor! annona studiorum pasim
nunc habetur! Quorum vicem cum doleas, indulgentissime
Princeps, nihil equidem prius, nihil antiquius habes, quàm ut
ad lucem literas revoces, tenebrarum insidiis penè interceptas;
ut exitio proximas, ab imminente interitu vindices, vitamque
& salutem illis quasi reddas. Ut ingrati sanè, ne dicam impii,
dici mereremur, quicumque colimus Musas, si calamum vo-
cemque cæteris commodantes, singularem istam & inauditam
Tuam benignitatem silentio traderemus, nec saltem profiteremur
æsi ingens, quamvis solvendo non simus. Huc itaque
omnes adeste, quotquot sacris istis operamini, huc ingenium
omne convertite & vota; huc doctarum noctium pervigiles
curas, dierumque sudores conferte, linguis omnibus Eum cele-
brantes, qui squalorem Studiis demit, qui ab egestate ingenia
defendit, Munificentia suæ plenissimis radiis omnia perfun-
dens. Nec enim dignius ullum genus impendii ducit, quam
quod erogatur in doctos, quibus tam effuso studio indulget,
ut extra limites etiam provinciarum quærat, quos liberalitati suæ
obnoxios, id est, felices reddat. Nihil effugere potest seduli-
tatem ipsius, exercendæ beneficentiæ materiam undique captat,
animi ingens, Magnificus, largus. Latentes producit ut ha-
beat, quos ditet, occultos evocat, ut largitionibus obruat,
quos vè virtutis suæ ac literarum Studium involvit, clementis-

simè extrahit, ut beneficiis exornet. Nihil perire ratus, quicquid in eos conferret; idque unum demùm se possidere incipere, quod largiendi hoc usu desineret possedisse. O providam & divinam Munificentiam Tuam! cujus simile quoddam vix retroacta ætas habuit exemplum, vix fera posteritas habituraerit, cum expectationem omnium jam vincat, avaras quoque spes & ardua vota prævertat. Longè tamen hinc abest inconsulta illa largitio, omnia in omnes sine delectu profundens, sed ita temperatur beneficentia Tua, ut ex sola frugalitate excurrere videatur. Nec Tibi enim probatur sententia eorum, quibus de alieno largiri, virtus appellatur, & eripere aliis, alios ut juvet, generositas dicitur. Quæ tamen & exosa Civibus, & Principi noxia liberalitas existet, Vires principatus exhauriens, & consumens publicas opes. Cum quicquid subditis perit, ipsis etiam Imperantibus decedat, & populo paupere, dives non facilè Princeps evadere possit. Quæ & Te ratio movit, *Providentissime Domine*, cur parsimonia potius, quàm populorum gementium lacrymis, & solerti magis rerum custodia, quàm subditorum damnis, patrimonium tuum adaugere malis atque conservare. Raro quidem exemplo hujus ævi nostri, quo plerisque aulis ignota frugalitas erit, quæ tamen hoc commodi afferet recepta, ut omnibus bene sit, ut cum regnantibus ipsis florere subditi possint, quando & Principem docebit largiendi usum innoxium & verum, & civibus exinde incutiet pudorem ne & ipsi luxu rem privatam consumant, abliguriendo deperdant.

Sed aliò me vocat immensa gloria *Tua*, cujus perfectioni, ut nihil quicquam decedit: ita addi nihil ipsius amplitudini potest. Ut diceremus, & verè, nisi colenda quoque *Tua* modestia esset, extremum fuisse naturæ sibi indulgentis conatum, cum *Te* formaret Principem, & ostendere hoc pacto ipsam voluisse, quantum efficere in fortuna summa, summa virtus possit. Aristides, quondam Atheniensium Princeps, Justus audiebat, quo ante eum honore haud quisquam fuerat usus, sed


sed eò ut potiretur, cupidiùs aliquantò elaborasse fertur, quam
æquis id oculis ferre Concives possent. Major gloria Tua,
quò minor contentio fuit; fama illustrior, levior invidia, vel o-
mninò nulla.

Justus justè agis, non ut videaris egisse, sed quia non a-
liter potes, vel etiam planè nescis. Imbui mihi videor divini-
tatis aliquo sensu, si hæc & talia animo percurram, quæ fidem
apud exteros ægrè invenirent, si in famâ tantùm, & ore vulgi
consisterent, nec oculis omnium indies usurparentur. Quis
enim tam humilis unquam, cui non facilis ad Te accessus daretur?
Quis adeò exilis, cui non æquè pateret Capitolina Cella, quàm
ipse animus patet? Nullæ duræ hîc fores; non limina superba,
non latebræ ullæ vel fugientis aulae recessus. Obvius omni-
bus *Princeps Clementissimus* adest, expositus omnibus, facilis,
benignus, populo immixtus solâ Virtute elucet. Satellitio
nullo aut exiguo opus est, dum excubiis cingitur publici amo-
ris, id unum timens, ne timeatur, magnitudinis suæ admodum
securus. Ad vindictam lentè, ad pœnam rarò, nunquam ad
sævitiâ procedit; providens potiùs, ne quid omninò peccetur,
quàm ut delicti meritas pœnas petat. Nulla potis est
molestiarum moles concutere mitissimum pectus, aut mentem
dejicere de rationis statu, nullo non tempore solidè firmatam,
optimeque sibi constantem. Scilicet ut siderum Principes,
quos vulgò planetas vocamus, quò sublimiori in sphaera consti-
tutierunt, hòc moveri tardiùs ac circumire videmus; Sic *illu-
strissimum nostrum*, quod veneramur, *Sidus*, quò altiori in gradu
& digniori consistit, hòc magis cohibere suos affectus, hòc fe-
stinare tardiùs ad iracundiam solet. Ore tamen & vultu di-
vina gravitas sedet; moribus constantia præfertur; Inconcussum
pectus, & affectione omni aut intactum, aut majus. Ani-
mus tam sui, quàm imperii potens; Consilii præstantia maxi-
ma; futuri provifus, & cætera omnia tanta, quæ & laudis sum-
mam in *Principe nostro* absolvunt, & cæteris omnibus, quot-
E quot

quot gradum cum Ipso in excelsis tenent æmulandi quandam necessitatem imponunt. Subditis autem Tuis, quibus deesse videtur hæc imitandi facultas, admirari non tantum, sed & venerari hæc incrementa Virtutum, quin etiam majora, avarâ quidem spe, publicâ tamen expectatione, concipere licebit. Ut & perennitas operibus Tuis addatur, & dicendi initium inde annales sumant, ubi nunc finem loquendi faciemus, nec argumentum prius deficiat scribendi, quàm finem Tu feceris (nunquam autem facies) de genere humano optimè demerendi.

Nos interim vota nova, solutis prioribus, pro salute Tua, devotè nuncupamus, & uti Natales Tui, Te integro & salvo, ut qui lætissimi in posterum redeant, non metu, sed amore, non servitii necessitate, quam renuis, sed cultu obsequii, quod poscis, supplici mente precamur. Tibi salutem nostram debemus; Tibi fortunas nostras, & quicquid possidemus, ferimus accepta; Te autem DEO; qui Te nobis dedit, *Principem optimum*, auctorem optimum felicitatum earum, de quibus effusissimè hæc ipsâ luce gaudemus. Favet & porrò his suis muneribus Maximus idem Moderator rerum, & priora cumulet posterioribus multis, novaque majora istis veteribus addat. Deus Te protegat,
CHRI-

CHRISTIANE *Serenissime*;
Deus Te sospitet; & ut paucis multa com-
plectar, Deus Te servet. Servet incolu-
mem, & vel de nostris annis annos Tuos
augeat, non nisi ævi spatio longissimo fini-
endos; Servet felicem, exitusque congruos
conatibus Tuis inducat, & benignissimus
impleat, quæcunque susceperis unquam,
quæcunque cogitâris. Neque enim ali-
ud aut cogitare poteris, aut suscipere vo-
les, quam quod Reipubl. commodum, e-
molumentum patriæ, prosperitatem subdi-
tis, indigenisque pariter & advenis felicita-
tem tribuat, atque salutem peren-
nem.



CHRISTIANE
Bene te solent, bene pariterque com-
placit, Deus te servet. Servet incola
meus, & vel de nostris annis annos Tuos
augere, benignissimi patris longamque
erbor, servet felicem, eximieque con-
cordiam, & visumque, & benignissimum
impet, & ut quibusque in rebus in-
quiescentibus cogitans, & quod cum
ad hunc usque locum, aut in hunc
loc, quam quod respicit, & quod
in hunc usque locum, & quod
in hunc usque locum, & quod



1017


ULB Halle

3

006 546 285







Cum,
DEO Auxiliante,
Serenissimus Princeps ac Dominus,

DOMINUS
CHRISTIANUS,
DUX SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ,
AC MONTIVM, LANDGRAVIUS THVRINGIÆ,
MARCHIO MISNIÆ, NEC NON UTRIUSQVE LUSATIÆ,
PRINCEPS HENNEBERGICUS, COMES MARCÆ, & RA-
VENSBERGÆ, DYNASTA RAVENSTEINII
&c. &c.

NATALEM TRIGESIMUM SEPTIMUM,

Qui
In diem XIX. Novembris Anni vertentis
M. DC. LXXXIX. inciderebat, ritu solenni
celebraret,



PANEGYRI PRÆSENTI

Vota devotè nuncupabat

DANIEL LEONHARD de Zedliz,

Eqv. Misn.

•••••
MERSEBURGI,

Literis CHRISTIANI GOTTSCHICKII, Typograph. Ducal.